

1072



Kern 241

(1-27)



(15)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
TEMPESTIVO AC SALVTARI
AEGROTORVM SILENTIO

QVAM
PRAESIDE
DANIELE WILHELMO
TRILLERO

PHIL. ET MED. D. CONSILIARIO AVL. ELECT. SAX.
MED. PROFESSORE PRIMARIO, ET ILLVST. ACAD.
SCIENTIAR. BONONIENSIS SODALI

H. T.
ACADEMIAE RECTORE

PRO
GRADV DOCTORIS
RITE IMPETRANDO

D. XIV. IANVAR. ANN. MDCCCXXXII

H. L. Q. C.

PUBLICICE DEFENDET
ANTONIVS DOMINICVS MARCVS
DRESDENSIS
MEDICINAE ET CHIRVrgIAE CANDIDATVS

VITEBERGAE, EXCUDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIUS.

DEPARTMENT OF THE ARMY
THE FIRST INFANTRY REGIMENT
ALBANY, NEW YORK

FRASIDE
DANIEL WILHELM
T. R. ...

THE ...
MEDICAL ...

...
...

...
...

...
...

...
...

...
...





Q. D. B. V.

§. I.

Pollicitis dives quilibet esse potest. Ita quondam vere et sincere cecinit OVIDIUS, ^{a)} non solum enim iam olim complures passim reperti sunt; sed et etiamnum reperiuntur, qui plura ore promittunt, quam ipso opere et manu promunt, et vel viuentes adhuc, iam *longa obliuia potant*, vt poeta ^{b)} acute ait, antequam ad *tristia silentum regna* perueniunt. Ne igitur vel nosmet ipsi in exosam istam et inuisam plus promittentium, quam praestantium classem merito referamur; age jam, promissi nostri publice quidem facti bene adhuc memores, fidem nostram ibi semel candide datam et arctius adstrictam nunc quidem decenter liberemus, eamque integram seruemus.

A 2

§. II.

a) Lib. I. *de Arte Amand.* v. 446.

b) VIRGIL. Lib. VI. *Aeneid.* v. 715.



§. II.

Nimirum, quum Anno superiore, *de tempestiuo Medici silentio, et intempestiuo aegroti*, publice disputarem; iniquis autem temporis chartaeque spatiis tunc contra votum ac desiderium nostrum, exclusi, alteram ac veluti contrariam illius certe dissertationis partem ex proposito quidem nostro, commode adiungere haud possemus; differenda tum ex necessitate, omnino fuit ista quidem opera; donec opportunior affulgeret occasio, alteram istam Commentationem adhuc residuam commodius adiiciendi. Istam igitur ex singulari gratia diuina nobis clementissime concessam laeto admodum gratissimoque simul in ipsum Deum, animo, qui nobis, vix merentibus haec certe otia fecit, nunc auide arripimus, Lectoribus nostris humanissimis et doctissimis publice proposituri alteram istam Exercitationem: *de tempestiuo ac salutaris aegrotorum silentio, siue, de Medela per silentium*: Quam quin isti pari certe beneuolentia accepturi sint, qua priorem illam iamiam benigne exceperunt; dubitare plane atque diffidere vix licet propter notam iam ac perspectam satis ipsorum humanitatem atque indulgentiam.

§. III.

Nunc autem ante omnia, omnes isti hic impense a nobis rogantur, ne subito forsitan et praecipiti praecudio inducti, existiment, haec ipsa Antilegomena, vt prima certe fronte videntur, a nobis tantum hic esse proposita, ad quandum ingenij versatilis et volubilis sagacitatem vane vaeque ostentandam, aut, vt nota ista Stoicorum paradoxa, subtiles Sophistarum versutorum tricas et plicas, argutas et implicitas Pyrrhonorum, aut Scepticorum amphibolias sectaremur, et imitemur: quae artificiosa quidem ac speciosa; sed veri plerumque inania figmenta ac pigmenta perquam multa, etsi cum fastidio et fluenti quasi

quasi nausea, ubiuis leguntur apud PLVTARCHVM, LVCIA-
 NVM, LIBANVM, THEMISTVM, SEXTVM EMPIRI-
 CVM, MAXIMVM TYRIVM, PHILOSTRATVM, aliosque;
 item et apud CICERONEM, ipsum QVINTILIANVM, vtrum-
 que SENECAM, PETRONIVM, GELLIVM et nonnullos
 alios, a doctissimo quidem LVDOVICO CRESOLLIO ¶
 praesertim perquam diligenter allegatos et partim iuste vere-
 que notatos. Neque enim ambidexeri quasi sumus, aut bilin-
 gues, aut flare simul ac forbere didicimus: nec concordiae ve-
 luti discordis callide calideque amantes sumus, vt, quod heri
 adstruximus, mox hodie iterum destruamus: nec denique *cand-
 dida de nigris, et de caudentibus atra Facere assuenimus*,
 vt cum poeta illo exule ^{d)} loquamur: Et sicut praesentia et
 praesentia in morbis ipsis *Antidota* et remedia *Antitheta*,
 aegris quidem corporibus opportune et efficaciter opposita
 merito approbamus et enixe commendamus; ita e contrario,
 lubrica illa ludicraque in verbis moribusque *Antitheta* serio
 improbamus et penitus condemnamus. Inde igitur omnia
 quidem ista diligentius hic a nobis tradita, omnino vera esse,
 seria, solida, ac scitu notatuque digna, nunc ex ipsa sequenti
 tractatione disertiori vberime et clarissime, spero credoque,
 apparebit.

§. IV.

Sunt enim varii omnino Morbi, ipsius nempe *Capitis*,
 item *faucium* et *pectoris* praesertim, atque *infimi* demum *Ven-
 tris*, qui per tempestiuum inprimis silentium, sensim mitescunt

A 3

et

c) In *Theatro Veri. Rhet.* Lib. I, Cap. XI. p. 81. sqq. et Lib. II, Capp. IV. V.
 et VI. p. 123. sqq. et Lib. III, Capp. IX. et X. p. 200. sqq. vt et Cap.
 XXVI. pag. 347. sqq. et passim alibi, in isto doctissimo opere.

d) OVID. Lib. XI. *Metamorph.* v. 315. conf. IUVENAL. *Satyr.* III, 30. vbi
 paene idem legitur.



et blande sopiuntur: per nimiam autem et clamoralem ipsius vocis exercitationem, aut intempestiuam verborum tinnulamque garrulitatem, magis magisque inualescunt atque vehementius exasperantur, ira, ut e polylogia subinde oriatur polyalgia, tandemque flebilis ololyga, et post nimia verba incassum et intempestive effusa, sequantur deinde saeviora veluti verbera, quibus misera aegrotorum corpora postea tanto grauius diutiusque castigantur et affliguntur, adeo, ut eo difficilius feriusque ad amissam sanitatem commode tandem reduci et quasi in integrum restitui possint.

§. V.

Sed ut ordine procedamus; age! ab ipso iam *Capite* incipiamus, tanquam a totius corporis nostri arce, dignitatis, custodiam et vigilantiam gratia, in sublimi posita et undique satis quidem valide munita; (ut post ipsum CICERONEM, ^e) SERENVS SAMONICVS, ^f) MINVCIVS FELIX, alique scite loquuntur) sed quae tamen a multis variisque morbis ac doloribus grauissimis, ceu totidem hostibus saevissimis, intus et extra, subinde infestatur et oppugnatur. Quales potissimum sunt *Cephalalgia*, seu *Cephaloponia*, ut GARIOPONTVS habet, ^g) et ista adhuc peior, *Cephalaea*, ut et *Hemicrania*, et *Scotosis*, siue *Scotomia*. Item *Insania*, vel *Mania*, ut et *Phrenesis*, vel *Phrenitis*, eiusque praesertim species singulares et mirabiles, scilicet *Entheasimus*, seu *Enthusiasimus*, illisque compar, *Corybantiasimus*. Porro *Ophthalmia*, vel *Lippitudo*, quo pertinent omnino multi varique morbi

e) Lib. II. de NAT. deor. cap. 56. adde PLIN. Lib. XI. Cap. XXXVII.

f) Praecept. de Medicina, pag. 7. vbi conf. inprimis ROBERT KEVCHE-
NII *Notas* doctiss. p. 134. sqq. qui tamen ibi praetermisit THEODOR.
PRISCIAN. Lib. I, cap. 1.

g) Lib. I, cap. 2.

morbi ac dolores ipsorum oculorum, vel ab inflammatione, vel sanguinis suffusione, vel denique ab acri, mordaci, fallaque pituita, vt et grauiore ictu, vulnere, vlcere, aliove casu infeliciose, oborti, vehementiusque concitati. Quo et pariter pertinent ipsarum *Aurium Inflammationes*, item exulcerationes, vt et *Conuulsiones*, et grauiores *tinnitus*, aliique dolores saeuiores, *qui interdum etiam ad dementiam mortemque praecipitant*, vt significanter eleganterque loquitur ipse CORNELIVS noster CELSVS. ^{h)} Nec reticenda hic plane *Narium* quoque *Haemorrhagia*, praesertim vehementior atque frequentior. In eundem etiam censum merito hic veniunt dira illa *Angina*, seu *Synanche*, aut *Cynanche*, vt et *Paristhmiorum*, sive *Tonsillarum* tumores, indurationes, inflammationes et exulcerationes, item *Lingua arida*, scabra atque fissa, vt et *fritis intensa* ac saepius immensa, ac *Spina* denique *piscis*, aut *ossiculum Carnis*, ipsis faucibus infeliciose casu, altius infixum ac saepius cum periculo coniunctum, vt alia nonnulla huc quidem adhuc pertinentia, breuitatis gratia, nunc studio, taceamus.

§. VI.

Hi igitur diuersi ipsius Capitis morbi, variaeque affectiones nimia certe vociferatione et garrulitate magis semper exasperantur; opportuno autem et modesto silentio caute procurato citius mitescunt, et adhibitis simul remediis idoneis, facilius feliciusque sedantur ac sopiuntur. Inde ipse AETIVS ⁱ⁾ eo ipso in loco, vbi alias *ἀναφωνήσις*, sive *vocis exercitacionem* in diuersis corporis infirmitatibus et morbis praesertim chronicis, merito laudat ac commendat cum aliis multis Medicis

^{h)} Lib. VI, cap. 7. p. 370.

ⁱ⁾ Lib. III, cap. 5. pag. 48.



dicis prisca aequae ac recentioribus ^{k)} in diris tamen ipsius Capitis doloribus et affectibus, ἀναφώνησιν illam laudatissimam penitus interdicit, et contra tacitam ἀποσιώπησιν, siue ἀποσιγήσιν, hoc est pertinax quasi ac profundam silentium serio seduloque suadet ac praecipit his quidem verbis: Τοῖς δὲ περὶ κεφαλὴν πάθεισιν ἀνάγκησος ἢ ἀναφώνησις: *Sed in cunctis ipsius Capitis morbis incongruens prorsus et inconueniens est sonorum vocis exercitium.* Luculentius autem, disertius ac distinctius ex ipso ANTYLLO, grauissimo sane Auctore, haec omnia obseruauit, monuit ac proposuit diligentissimus ORIBASIVS ^{l)} ex RASARII quidem versione; quoniam ipso Auctoris contextu graeco adhuc, licet aegerrime, caremus, vti notum. Sic autem nunc ipse ANTYLLVS: *Sermo vim quandam habet, vt caput impleat, et grauitatem afferat: quin etiam vires dissoluit, idque praecipue in febris, et magis quoque in accessionibus. Sitim etiam inducit, ac Linguam siccatur: est etiam lippientibus, et quibus sanguis e naribus funditur; et maxime iis, qui sanguinem reieciunt, incommodus.* Mox vero ibidem ^{m)} paucis quidem interiectis, ex eodem ANTYLLO: *Vociferatio autem Capitis affectio-*

k) Vti scilicet HIPPOCR. GALEN. ARET. AEGINET. et imprimis ORIBAS. *Synops.* Cap. V. p. 12. et in *Collect.* Capp. VIII. IX. et X. p. 194. sqq. item CORN. CELS. et imprimis CAEL. AVREL. saepissime, quorum loca diligenter collegit et explicuit MERCVRIALIS, Lib. III. *de Arte Gymn.* cap. 7. et Lib. VI. c. 5. vid. et HARDVIN. ad PLIN. Tom. II. p. 463. et IO. RHOD. *Diff. de Acia*, cap. VI. p. 67. conf. et *Not. nostr.* ad CELS. Lib. IV. c. 6. p. 139. *Append. ad Lib. de pleuride.* Add. PLVT. *de San. tuend.* p. 130. T. II. THEMIST. *Orat.* 18. p. 223. CLEM. ALEX. L. III. *Paed.* c. 10. et SENEC. *Ep.* 15. et 78.

l) *Collect.* Lib. VI. cap. 7. p. 194. conf. MERCVRIAL. *de Arte Gymn.* Lib. VI. cap. 5. p. 356. sqq. et cap. 6. p. 360. sqq. item RAMAZZINI *Tract. de Morbis Artificum*, Cap. XL. pag. 277. sqq.

m) *Collect.* cap. 8. p. 195.



affectionibus non est idonea, quum nescio, quid facultatis ad replendum Caput, et instrumenta sensuum in capite contentorum habeat. Neque sane ignauo turpique silentio oscitanter hic denique transmittendus est locus iste luculentus certe ac prorsus insignis ipsius ARETAEI, τῶ παναρέτε, quippe qui hac praesertim perquam apposite facit ^{u)}: Ὁξείες Φθόγγοι κεφαλῆς διαστάσεις, κροτάφων παλμοί, ἐγκεφάλου διασφύξεις, ὀφθαλμῶν πρήσιες, ἤχων ἀνοή: *Acutae voces Capitis distentiones, temporum palpitationes, cerebri pulsationes, oculorum inflationes, (vel inflammationes) auriumque tinnitus efficiunt.* Vbi conferendus omnino est praestantissimus PETRVS PETITVS, ^{o)} qui et vtiq̄e ὀξυπόδος fuit, siue acutum vidit, vt id obiter hic addam, quum in antecedentibus, pro illis male hactenus vulgatis, βαρέσι Φθόγγοισι μᾶλλον χρεόμενων, ἠχέειν, rectius aptiusque legeret: ἢ ὀξέσι, illud enim vulgo scriptum ἠχέειν quod nempe inane sonat, reuera hic quidem tale est. Quanquam et sat commode, ni omnis fallar, ibi etiam legi posset: ὀξυήχοισι, vel ἠχέσι, vel denique ἠχητιμοῖσι, eodem scilicet sensu, sat commode et apposito. Sed de his nunc hactenus; data nempe sua sponte occasione, non autem studiose, multo minus anxie aut operose quaesita.

§. VII.

Iam autem singula haec dira duraque ipsius *Capitis* afflicti maleque affecti symptomata et aerumnosas calamitates paullo diligentius seorsum consideremus, et simul summam ipsius silenten-

^{u)} Lib. I. de Morbor. Chronicor. Curat. Cap. III. pag. 119. Ed. BOERHAAV. et ex parte, nostrae.

^{o)} In doctissimo Commentario, p. 276. Conf. huc MERCVRIAL. Lib. VI. de Arte Gymn. cap. 5. p. 356. lqq. vt et RAMAZZINI Diatrib. de Morbis Artificum, Cap. XL. p. 276. lqq.



lentii necessitatem et utilitatem, in illis certe sensim pacandis et
 placandis, perquam efficacem et praesentaneam, grauissima in-
 primis veterum Medicorum Graecorum et Latinorum praestan-
 tiorum auctoritate vbique tanto validius et luculentius confirme-
 mus. Quoniam scilicet in plerisque recentiorum Auctorum
 scriptis, hoc ipsum silentium tempestiuum ac necessarium silen-
 tio certe intempestiuo et minime necessario nimis sane secure,
 praetermittitur. Adeo enim sordent plerumque hodie, vete-
 res illi fidi, probi et periti in arte salutari duces et antesignani
 plurimis nouis nostri quidem saeculi Aesculapiis, aut Themis-
 sonibus, vt sedula certe et attenta lectione prorsus fere indigni
 ab iis habeantur. Vnde sane non mirum, nouos illos *δοκίμοι*
σοφοί, immo *πολυσοφοί*, vt videri quidem volunt, aut rectius
 forsan *πολυψοφοί*, et *ὀλιγοσοφοί*, quin etiam supe *ἰσόσοφοί*,
 non solum plane nescire, quid boni isti veteres siluerint; sed
 et, quod tanto sane peius, illud prorsus ignorare, quid illi qui-
 dem in communes mortalium vsus, quondam loquuti fuerint,
 aut literis mandarint aeternum certe victuris. A quorum ta-
 men classe illaudata merito hic excipiuntur BALLONIVS,
 FERNELIVS, HOLLERIVS, DVRETVS, VALLERIOLA,
 MERCVRIALIS, CLAVDIVS, FORTIS, NICOLAVS
 et CAROLVS, PISONES, RHODIVS, SEPTALIVS, SEN-
 NERTVS ac SCHNEIDERVS, lucida illa nostratis academiae
 sidera, paucique alii e recentioribus. Sed de his quidem ha-
 ctenus, ex iusta potius indignatione, et ingenuo candore;
 quam tetro liuore, aut foeda obtrestandi et insectandi libidine.
 Vt enim ingenue fateamur, nos certe venerandos illos *παλαιό-*
λόγοι pluris facimus et diligentius sectamur; quam hodiernos
 quosdam *καινολόγοι*, vtpote magnam certe partem, *κενολό-*
γοι, seu *vaniloquos* et *inaniloquos*, vt sic cum PLAVTO, se-
 rio veluti ioco, hic dicere liceat. Hinc semper mihi placuit,
 immo



immo perplacuit consuetum istud DIONYSII PETAVII symbolum, sano tamen iustoque sensu a me sumtum et intellectum: *Nova quaerant alii; nil, nisi prisca, peto.* Sed haec obiter, ac velut in transitu; nec tamen penitus sine usu, vt equidem credo speroque. Nunc vero absque vlla ambage aut interiecta remora, in nostro quidem penso et suscepto argumento, strenue, pro viribus certe, pergamus.

§. VIII.

In *Cephalalgia* igitur, et *Cephalaea* praesertim, saeuu illi dolores saepius adeo vsque vehementescunt, vti significanter ait COELIVS AVRELIANVS, vt prae mentis inquietae impotentia et impatientia, ipsi miserrimi aegroti in lamentabiles questus palam erumpant et sonoros clamores subinde ad Coelum anxie tollant. Sed luctuoso vtique ac damnofo illo certe lucro, vt ipsi dolores exinde magis increpant et increpant; ipsum vero malum pertinacius ac peruiacius efficiatur, atque medela ipsa tanto lentior, ac difficilior tandem redatur. Quare vnanimi fere consensu, Veteres illi Medici sapienter et apposite commendarunt hic atque inculcarunt tempestiuum illud et saluberrimu silentiu. Ita enim COELIVS AVRELIANVS ^{p)} vbi de *Cephalalgia*; et speciatim, de *Cephalaea* fufe et erudite agit: *Oportet aegrotantem iacere loco mediocriter frigido, atque obscuro, paullo leuatius capite collocato, adhibito silentio, atque corporis et animi requie, vt et ibidem ^{q)} nonnullis quidem interiectis: Vitanda Exclamatio vehemens atque iracundia. Paullo post autem, nonnullis interpositis ^{r)} ita scribit idem: Vocis quoque exercitium*

B 2

p) Lib. I. de Morb. chron. Cap. I. pag. 271.

q) Loco citat. p. 274.

r) Ibidem, p. 282. conf. MERCVRIAL. Lib. III. de Arte Gymnast. Cap. 7. pag. 210.





*citium adhibemus, quod Graeci ἀναΦώνησι vocant: in quibus prima quidem fronte manifesta quadam ἀντιΦώνησι, seu contradictio haerere videtur; sed videtur tantum; haud re ipsa subest, ut ex antecedentibus, satis certe perspicue patet: His itaque adiutoriis relaxatis, atque lentescentibus capitis partibus, vocis quoque exercitium adhibemus: vnde sane omnis statim tollitur dubitatio, aut imaginaria quasi contradictio: Sed haec obiter. Iam vero transeamus, si lubet, ad GARIOPONTVM *) qui pariter, ubi de *Cephaloponia*, ut et *Cephalaea*, tractat, aegrotis ipsis sequentia certe monita necessaria enixe commendat: *Iacere debent in cubiculo mediocriter temperato et obscuro, Capite obuoluto, sileant, sine iracundia sint, usque in diatritum primum.* Quod ipsum iisdem paene verbis, ut frequentius nempe assolet, ita repetit vetus ille Medicus, qui sub magnifico isto AESCULAPII nomine latet; **) *Iacere debent aegroti in cubiculo mediocriter temperato, obscuro, capite obuoluto: Silentium habeant, ut iracundiam non patiantur, usque ad diem tertium.* Sed ipse hic nunc fileto de pluribus, quae huc quidem sat commode forsan, adferri poterant, ne nimia verborum Lectorem forte sit taedio atque fastidio. Hinc haec sufficiant.*

§. IX.

In dolore quoque illò intenso et acerbo dimidii nempe Capitis, qui vulgò *Hemicrania* dici solet, idem simplex tutum ac salutare silentii ipsius remedium pariter diligentius commendant et serio praecipunt iidem Auctores modo ex merito; a nobis laudati, nempe COELIVS AVRELIANVS, GARIOPONTVS, atque AESCULAPIVS, quorum tamen ipsos locos, utpote iam curatius allatos et propositos, hic denuo

repe-

*) Lib. I, Cap. II. pag. 2.

**) Lib. de Morbor. Origine descript. et cura, Cap. I. pag. 1.

repetere nolumus, ne crambe scilicet bis ingrata cocta, displiceat Lectoribus, vt proverbio vulgo dicitur. Interea tamen huc inprimis conferri merentur Medici illi praestantissimi FRANCISCVS VALLERIOLA, ^{u)} NICOLAUS PISO, ^{v)} HIERONYMVS MERCVRIALIS, ^{w)} atque BERNARDVS RAMAZZINVS ^{x)} ne alios plures, recentiores scilicet, in horum quidem societatem frustra huc iam aduocemus, quoniam haud opus videtur.

§. X.

In *Scotomate* porro, seu *Scotosi*, aut *Scotomia*, siue vertiginosa Caligine, aut vertigine caliginosa, ipsum quoque silentium singularem praestare vsum et insigne auxilium; frequentiori experientia edocti, candide ac fideliter testantur Medici isti veteres in antecedentibus iam merito laudati, in quibus potissimum eminent ac splendet veluti luna inter ignes minores, magnus ille ARETAEVS ^{y)} cuius insignem hanc ipsam in rem, locum iam supra (§. VI.) opportune produximus; in quo scotomaticis istis terio grauius suadet, vt caveant sibi praesertim a *vocibus acutis*, vtpote caput ipsum magis adhuc turbantibus, et inde tenebrosam istam vertiginem citius vehementiusque augentibus: Quo et deinde sapienter respexit iste quidem iam supra allegatus AESCULAPIVS, ^{z)} dum ipsis Scotomaticis ita seuerè praecipit: *Semoti illi debent esse*

B 3

u) In *Comment. in GALENI de Morb. et Symptomaz.* Lib. I. p. 393. sqq.

v) *De cognoscendis et curandis Morb.* Lib. I. Cap. 6. pag. 56. et Cap. 7. pag. 86. Tom. I.

w) Lib. VI. *de Arte Gymnast.* Cap. 5. p. 356. sqq. et cap. 6. p. 360. sqq.

x) *Tract. de Morb. Artific.* cap. XI. pag. 277. sqq. conf. et si placet, *Clinotechniam nostr.* Sect. III. pag. 73. sqq.

y) Lib. I. *de Morbor. chron. Curaz.* cap. 3. p. 119.

z) Cap. II. pag. 4.



esse a voce; et post cibum dormiant, siue silentium habeant. Quod ipsum breuius sic certe expressit GARIOPONTVS ^{c)}: Scotomatici post cibos dormiant, siue sileant. Difertius vero et luculentius ista amplificauit et ad publicum quidem vsu diligentius proposuit praestantissimus iste NICOLAUS PISO, ^{d)} qui nempe instar fere resonabilis Echus, vt ita loquar, optima Veterum Medicorum dicta et obseruationes utilissimas scituque maxime necessarias vbique diligentius reperere et iterare solet, non nominatis licet Auctoribus ipsis, vt alibi iam a me opportunius monitum est; ^{e)} Is igitur Medicus certe laudatissimus ipsis quidem Scotomaticis sequentia dedit praecepta longe saluberrima: *Animi perturbationes maxime fugiendae, praesertim ira, timor, moestitia, et longa studia; pariter clamores, contentiones et cantus.* Vbi sub illis quidem Cantibus intelligere potissimum videtur istos certe Φόγγος ὄξεις, seu *acutas voces et cantiones*, ab ipso nempe ARETAEO in praesenti quidem scotomate praesertim prohibitas et interdiktas, vt superius iam a nobis obseruatum. Sed nunc demum de his satis; immo forsitan plus satis.

§. XI.

Praecipue autem a dira *Insania* seu *Mania* correptis ac corruptis altum certe silentium serio semper imponendum et imperandum est. Plerique enim istorum mente captorum continuo vociferantur, altercantur ac tumultuantur: quare illis ab initio quidem, non pertinacius, aut rigidius obloquendum; sed patienter potius et placide in plerisque assentiendum, ex sapienti quidem ipsius CELSI, COELII AVRELIA-

NI,

c) Lib. I, cap. V. p. 4. 6.

d) Lib. I, de Cognoscend. et Curand. Morb. cap. IX. p. 102. Tom. I.

e) Nempe in *Clinotechnia*, pag. 14. 35. 46. 101. 102. et passim alibi, in isto opere.



NI, ARETAEI, AEGINETAE et aliorum Consilio; ne scilicet ipsi per istas certe confutationes et exprobrationes intempestive factas, magis confusi fiant ac furiosi; indeque minus sapiant, et eo vehementius saeviant. Quod si tamen, ut saepe fieri solet, miseri isti nec per lepidas fabellas, nec per molliora verba, ad illam perquam necessariam taciturnitatem commode flecti et adduci possint; tum sane, mutata veluti subito scena, per asperiora flagella et duriora verbera, eo saevius ac seuerius adigendi et cogendi sunt, ut tandem fero resipiscant, pudorem capiant, et flagelli, aut *in scalis pendentis habenae denuo metuentes*, ut cum poeta loquar ^{f)}) modeste conticescant et conquiescant, atque sic tandem quasi postliminio, ut sic dicam, ad saniozem quidem mentem tempestive reuertantur. Quae cuncta grauissima sua auctoritate et diurna fidaeque satis experientia pariter liquidissime confirmant veteres isti Medici, aliquoties iam laudati. Sic enim GARIOPONTVS ^{g)}): *Semoti iaceant Maniaci in domo tenebrosa, silentium habentes, neque legentes, et in antecedentibus: Caput operiant lana tincta in oleo anethino calido, et silentium habeant.* Neque sane aliter, ut plerumque solet, personatus ille AESCVLAPIVS ^{h)}): *Ne plus paueant, aut insaniant isti, semoti iaceant a confabulatione, in domo tenebrosa, et silentium habeant, non legant, non fabulentur.* Consentit quoque hic IANVS DAMASCENVS ⁱ⁾): *Contineatur mania, seu morbo furioso implicitus, quoad eius fieri potest, in quiete, quoniam inordinata agitatio, motus et vociferatio vires conuellunt et humores excitant, commouent, et quae ibi sequuntur*

f) Scilicet HORAT. Epist. 2. Lib. II.

g) Lib. I, cap. 9. pag. 8. b.

h) Cap. IV. pag. 7. fq.

i) Lib. III, cap. 21. pag. 128.



quantur plura, de quibus alibi iam egimus, *) quae si forsan tanti videantur, si lubet quidem, huc per otium, conferantur.

§. XII.

Ad ipsam quoque ferocem et vesanam *Phrenitim*, seu *Phrenesin* sensim opportune commodeque frenandam ac compescendam, summum inprimis requiri silentium, cum ab aegrotis ipsis, tum et ab aliis praesentibus, adsidentibus, aut aduentantibus, omnium fere Medicorum Veterum unanimis est consensus ac confessio. Ita enim luculenter admodum et eleganter secundus ille Hippocrates, siue ipse *ARETAEVUS* †): Ἠσυχίην ἀγειν κελεύει καὶ αὐτὸν νοσέοντα, καὶ τὰς ἐπὶ τῆς οἰκίης ἀπαντὰς ὀξυήκοοι γὰρ, ἠδὲ ψόφου καὶ θραπτόμενοι Φρενιτικοὶ: ἀτὰρ ὑπὸ τῶνδε μένοντα. *Quiescere praesertim iubendum est, et aegrotum ipsum, et omnes domesticos: acute namque audiant phrenitici, et strepitis irritantur, nec non et ab iis in furorem aguntur.* Quo et pari sane ratione, respexit *COELIVS AVRELIANVS* ‡) his quidem monitis: *iacere oportet phreniticos in loco, omni ex parte, devio, ne aliqua transeuntium voce pulsentur;* et paullo post, ibidem: *maxime, quum ratione non careat,* (sic enim ibi legendum videtur,) *multorum ingressum, aut frequentiam prohibere.* Quorsum et pariter pertinet illud *GARIOPONTI* §) consilium ac praeceptum perquam opportunum: *Publicis confabulationibus non utantur phrenetici, vultus hominum diuersi non adsint.* Quibus ipsis Medicis nunc alium commode satis opinor, adiungemus. Sed animarum potius Medicum, quam ipsorum corporum, nempe

k) *Clinotechniae Med. antiq.* Sect. III. pag. 93.

l) *Lib. I. de Morbor. Acutor. Curat.* Cap. I. p. 72.

m) *Lib. I. de Morb. acut.* cap. 9. pag. 23. sq.

n) *Lib. I.* cap. 8. pag. 7.

nempe piam istum devotumque SALVIANVM, ^{o)} qui quippe vere non minus, quam acute, ita scripsit: *Quid conferunt phrenetico silentia circumstantium, quem statim suus clamor occidit?* Quae ipse RITTERSHVSIUS, ^{p)} cuius praeclara industria SALVIANVM ipsum saluum integrumque atque doctissime simul illustratum nobis dedit, ex veris quidem solidisque Medicorum placitis, ita scite ac prudenter explicuit et confirmavit: *Nota! Silentium convenientissimum esse phreneticis, ne sermonibus, aut strepitu, phantasia, quae iam exerrare in ipsis coepit, magis magisque perturbetur, variis obiectis visis; quum quiete potius ac somno curandi sint.* Haec quidem ille perquam opposite profecto atque opportune.

§. XIII.

Sed nunc illico transeundum est ad singulares illas Phrenitidis, siue insaniae species, *Entheasmonum* scilicet, atque *Enthusiasmonum*, quarum meminere GARIOPONTVS, ^{q)} atque AESCVLAPIVS; ^{r)} sed corrupta valde vtrinque scriptura: apud GARIOPONTVM enim legitur *Anteniasmon*, pro *Entheasmo*, et apud AESCVLAPIVM, *Enthusiasmon*, pro *Enthusiasmo*: quae tamen nomina vtraque rectius et correctius refert vetus ille *pandectarius* sic dictus, MATTHAEVS nempe SILVATICVS ^{s)}. Quin et ex priscais Auctoribus ipse THEOPHRASTVS, AEGINETA, APOLLONIVS, aliique. Interea vero, licet hi ambo mentis alienatae affectus turbulenti nomine quidem non nihil inter sese differre videantur; quanquam vnius sunt originis, ceu notum, re tamen ipsa, vt et ortu et singula-

o) Lib. V. de *Gubernat. Dei*, pag. 159.

p) In *Comment.* in SALVIAN. pag. 147.

q) Lib. I, cap. XI. p. 9. b.

r) Cap. VI, pag. 10.

s) *Pandect. Med.* fol. 77. b.



gularibus praesertim symptomatis, eosdem satis exacte inter se conuenire, palam sane ex sequentibus statim liquebit. Sic enim Entheasum describit ipse GARIOPONTVS: *Est species Maniae periculosa nimium: Irritantur isti, tanquam maniaci, et in se manus iniiciunt: subito arripiuntur, cum saltatione manuum et pedum, quia intra aurium cavernas, quasi voces diuersas sonare falso audiunt, ut sunt diuersorum instrumentorum musicae soni, quibus delectantur, ut statim saltent, aut eursum velocem arripiant.* Sic autem rursus ipse AESCVLAPIVS: *Enthusiasmo affecti scilicet subito arripiuntur, cum saltatione pedum, vel manuum, ut audiant sibi intra aurium cavernas, voces decentes diuinorum cantantium, tympanorum, aut cymbalorum percutientium sonos, et cum nimia delectatione resonant eis, sed reliqua notatu perquam digna ibi per otium legantur.* Ita nimirum *tympana* et *cymbala* apte hic coniunxit Auctor, in eo ipsum sequutus GALENUM *) qui in simili *Enthusiasmi* definitione, sic quondam scripserat: *ἔξι-σανται τινες, ἢ τυμπάνων, ἢ αὐλῶν, ἢ κυμβάλων ἀκρόσσαντες: Quidam mente capiunt, si aut tympana, aut tibias, aut denique cymbala audierint.* Κυμβάλων nempe, sat probabili, nisi fallor, coniectura, legendum hic censemus, pro vulgato haecenus in editis Libris, συμβόλων, quae nullam huc symbolam aptam conferre videntur: Cymbala autem melius rectiusque hic concordant consonantque ipsis praemissis tympanis, et tibiis. Quibus adhuc accedit, LYCIANVM in *Epist. Saturnal.* et alibi saepe, STRABONEM, APVLEIVM, L.VIII. *Miles.* aliosque, qui *Enthusiasticorum*, aut *Corybantium* meminerunt, semper fere *tympana* et *cymbala* apte coniunxisse. Est igitur utraque haec mentis emotae passio infania quaedam imaginosa, quasi hilaris, et veluti scenica, musica atque canora; sed et interdum

CO-

*) *Desinit. Med.* p. 281. T. II.

comico-tragica, vt ita non sine ratione, loquar; praesertim, vbi illi quidem insanientes inter saltandum, plaudendum et cantandum, gladium forsân infelicitè arripuerint, vt laudati modo auctores obseruarunt; scilicet post APVLBIVM, *) ac LVCIANVM, **) qui ipsi ibi simul contra hos impetuosos et insulso in-sultus serio potissimam suadent, vt tum isti certe phrenetici vel maxime *in ipso accessu silentium habeant*: vt nempe clarissimis quidem verbis ipsi praecipunt.

§. XIV.

Quod ipsum illis quoque inprimis sedulo commendandum et serio iniungendum, qui parem prorsus *hilarem insaniam insanire ac per risum furere solent*, vt SENECA scite loquitur *) seu Phantasia, vel Phrenesi, illis quidem simillima, (vt vel ex laudato modo ipsius AESCVLAPII loco, immo et AETIO, **) clarissime, putem, patefcet,) nempe *Corybantismo*, aut *Corybantiasmo*, vehementius exagitantur. Qui nomen suum primo a notis illis Cybeles sacerdotibus, Gallis, seu semiuiris, traxit, qui dum *acuta geminabant aera*, vt HORATIVS *) ait, tibusque et tubas inflabant, ac tympana reboantia strenue pullabant, sensim in furorem agebantur; quem deinde, mutuo quasi contactu et afflatu, cum aliis sibi obuiis communicabant et in eos transferbant, vtsic per ipsos *κορυβαντιῶντας*, simul fierent *συκορυβαντιῶντες*, et veluti *ex imperio furentes*, vt SENECA *) ingeniose loquitur, qui postea, sic infecti quasi et inquinati, clangorem tubarum et tympanorum strepitum interdiu, auribus resonanti-

C 2

- a) Quem vid. inprimis, Lib. VIII. *Metamorph.* pag. 172. sqq. ibique IO. PRICAEI Nor. p. 467. sqq. item pag. 731. in *Addendis*, et *obs. Variorum* interpretum.
- x) *Deorum Dialog.* pag. 206. Tom. I. opp.
- y) Lib. de *Vita beata.* cap. XII.
- z) Lib. VI, cap. 8. pag. 102.
- u) Oda XVI, Lib. I.
- b) *Epist.* CVIII.





nantibus continuo percipere sibi videbantur; noctu vero patientibus tantum oculis, leporum fere ad instar, veluti semisomnes, dormire credebantur, quod ipsum *Corybantiare* dicebatur, ut legitur apud PLINIVM ^{e)}. De quo diro miroque animi turbati affectu videndus imprimis et conferendus ipse PLATO, ^{d)} et ex illo, MAXIMVS TYRIVS, ^{e)} item STRABO, ^{f)} ut et CELSVS, ^{g)} nec non LVCIVS, ^{h)} IAMBlichVS, ⁱ⁾ et ipse ARETAEVVS, ^{k)} iudicempe PETRO PETITO ^{l)} sed praevio MERCVRIALE ^{m)} item et LONGINVS, ⁿ⁾ ac tandem SENECA, ^{o)} ut alios iam praeteream, qui passim huius quidem tinnuli tremulique affectus obiter tantum fecerunt mentionem. Luculentius autem ac disertius de hoc sonorino et imaginoso mentis emotae morbo certatim quasi egerunt IOSEPHVS imprimis SCALIGER, ^{p)} CLAVD. SALMASIVS, ^{q)} CASPAR BARTHIVS, ^{r)} PETR. VICTORIVS, ^{s)} COEL. RHODIGINVS

e) Lib. XI, cap. 37. vbi vid. HARDVIN. pag. 651. Tom. I. Opp. conf. TYRNEB. *Aduers.* et RVTGERSII *Var. Lect.*

d) In CRITONE, pag. 375. add. et Lib. VII. *de Legg.* pag. 628.

e) *Dissert.* XXII. p. 222. ibique DAN. HEINS. in *Nor.* p. 101.

f) Lib. X. *Geograph.* p. 326. ibique CASAVBON. in *Nor.* pag. 162.

g) Apud ORIGINEM, contra ipsum CRES. Lib. III. p. 120. Edit. SPENCER.

h) In *Nigrino*, p. 43. *Lexiphon.* p. 83. *de Conseribend. Hist.* p. 600. T. I. et passim.

i) *De Myster. Aegypt.* cap. IX. p. 69. et ibi GALE, p. 224.

k) L. E. *de Morb. Chron. causi. et sign.* cap. VI. p. 32. vbi potissimum conf. PETITI *Comment.* p. 174.

l) *Loco modo laudato*, p. 174.

m) Lib. III. *Var. Lect.* cap. XV. p. 68. sqq. et Lib. V. cap. V. p. 114. sqq.

n) *De Sublimit.* Sect. XXXIX. p. 220. uti conf. *Nor.* LANGBAIN. TOLLI et SCHVZFLEISCHII nostri, aliorumque.

o) *Epist.* CVIII. vbi conf. LIRS. et IO. OPSOPHOEVMS, et BRODAEI *Miscellan.* Lib. V. cap. 23.

p) In *Nor.* ad CATVLL. *Carm.* XXXVII, pag. 42. sqq. et rursus, ad EYSEB. p. 27. sqq. vbi contra MERCVRIALIS censuram vehementius insurgit, et paene *νοσησάντων*, sed sit venia dicto haud serio.

q) *Exercitior. Plinian.* pag. 764. sqq.

r) *Comment.* ad CLAVDIAN. p. 895.

s) *Var. Lect.* Lib. III. c. 9. p. 30.

GINVS, ^{a)} HENR. VALESIVS, ^{b)} B. WOLFIVS ^{c)} praesertim autem
 PETR. BURMANNVS IVN. ^{d)} et IO. IAC. HOFMANNVS, ^{e)} tandem
 etiam cl. DAVID RVHNKENIVS, ^{f)} cum illis, qui ab ipso quidem
 hanc ipsam in rem, ibidem, opportune laudati sunt, Auctoribus.
 Quibus cunctis, praeter supra iam allegatos, merito quoque, si
 placet, addantur CASP. BARTHOLINVS, ^{g)} IO. PRICAEVS, ^{h)} et LV-
 DOV. CRESOLLIVS, ⁱ⁾ et si forsitan alii nonnulli adhuc supersint.

§. XV.

Ceterum, vt hoc obiter, sed forsitan haud intempestive, hic
 adiciam, ad hunc quidem delirantium aut Corybantantium
 miserandum gegem pertinere quoque quodammodo videtur *Ni-
 canor* ille, cuius ter meminit HIPPOCRATES noster, ^{j)} quem vbi
 noctu, ad conuiuium progredere, timor Tibicinae corripie-
 bat, vbi audiret ipsam tibia canentem. Interdiu vero eam ipsam
 audiens, nihil tale insolitum stolidumque patiebatur. Cui turba-
 ta quidem phantasia et sonora quasi imaginatione, simillimus
 sane erat Medicus ille, nomine *Theophilus*, a GALENO ipso visus
 et commemoratus, ^{k)} qui pariter serio certoque putabat, quos-
 dam tibicines in angulo domus, assiduo sonare ac pullare, atque
 hinc illos citissime expelli, enixe anxieque postulabat. Praeser-

C 3

tim

a) *Lect. Antiq.* Lib. IX, cap. 28. pag. 453.

b) Lib. II. *Emendat.* cap. 4. pag. 52. sq.

c) In *Nor.* ad LIBANII *Epist.* CCCLII. pag. 146.

d) *Antholog. Poetar. Latin.* Lib. III. *Epigr.* 9. Tom. I. p. 462. sqq.

e) *Lexic. Vniuersal.* Tom. I. pag. 490. sqq. et *Contin.* Tom. I. pag. 540. et
 Tom. II. p. 480.

f) In *Nois* ad TIMAEI *Lexicon Platonicum*, pag. 119.

g) Lib. II. *de Tibiis Veterum*, cap. I. p. 145. sqq.

h) In *Nois* ad APULII *Metamorph.* L. VIII. p. 466. sqq.

i) *Theatr. Vetr. Rhet.* L. II. §. 17. p. 257. sq. add. SPANHEM, ad CALLI-
 MACH. pag. 22. et p. 51.

j) *Epidem.* Lib. V. p. 791. et Lib. VII. p. 866. Tom. I. item *Sched. de Insa-*
nia, p. 346. Tom. II.

k) Lib. *de Symptom. Differentiis*, cap. III. p. 35. Tom. VII. opp. conf.
 MERCVRIAL. *Var. Lect.* Lib. VI, cap. 5. pag. 115.



tim tamen ad istos hilariorem certe insaniam insanientes ac iucunde quasi delirantes referri utique meretur nobilis ille Abydenus, cuius meminit ARISTOTELES,^{g)} siue Argiuus, ut legitur quidem apud HORATIVUM, ita certe lepide eleganterque canentem^{h)}:

*fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire Tragoedos,
In vacuo laetus sessor, planfisque theatro. &c.*

Quo et apprime facit persimilis ista Historia, ita quidem diligenter obseruata candideque relata a PHILIPPO SALMUTHOⁱ⁾: *Matthias Montag, Compactor Librorum, in hilarem, seu suauem melancholiam incidebat, qua continuo sese musicis interesse concentibus imaginabatur, ac quam diligentissime auscultans, tacitus et immotus, loco suo assidebat. Quod si ab ipso suauior quaedam harmonia imaginaria esset audita; repente a sede profiliebat, cum risu et admiratione, saltabat, tripudiabat, alios se interturbantes increpans. At vacuato corpore, atque Musica, per fratres studiosos, adducta, facile restitutus est, inter veram et imaginariam Musicam hac ratione, illo ipso discernente. Sic igitur bonus ille Montag, siue Lunaticus, utroque certe sensu sumtus, ut ita dicam, ab ista sua Musica imaginosa et cerebrosa tandem opportune et auspicato liberatus fuit per Musicam veram, concinnam atque harmonicam: quod ipsum nempe suauisonum musicae artis efficacioris remedium iam dudum ipse praeceperat et enixius commendauerat PLATO^{k)} contra eiusmodi*

g) Lib. de Aud. Mirabil. p. 1152. T. II. Opp.

h) Epist. II, Lib. II. conf. huc LINDENII *Select. Med.* Lib. I. *Exercitat.* XII. p. 479. ut et IAC. PONTANI *Africa Bellaria*, Syntag. I, Sect. XXII. p. 53. sq. item PETRI VICTORII *Var. Lect.* Lib. III. cap. IX. pag. 36.

i) *Observat. Med.* LXXIX. Cent. II. pag. 97. per CONRING.

k) Lib. VII. de Legibus, pag. 628. conf. et PETITI *Comment.* in ARISTOTELIUM, p. 174.

modi sonoram insaniam Corybanticam. Quin etiam simillimum paene exemplum ex THEOPHRASTI quidem Libro, de *Enthusiasmo*, sed hodie deperdito, commemorat APOLLONIVS ille *Dyscolus* dictus, ^{l)} de nobili quodam Musico Thebano, qui pari delirio lyrico, vt ita dicam, ac sonoro correptus et corruptus fuit; paullo post autem, audito vero et scienter composito concentu musico, sensim ad saniozem sensum rediit, adeo, vt ipsum exinde saepius serio puderet ac palam poeniteret istius quidem phonsicae et phantasticae Visionis ac fictionis, vt ita loqui liceat, qua fraudulenter illectus et turpiter illusus fuisset. Sed studio sane ac consilio, omitto nunc plura eiusdem certe generis, exempla, quae apud BENVENIVM ^{m)} VALLERIAM, SCHENKIVM, BONETVM aliosque plures passim leguntur, qui eiusmodi historias morborum curiosas ac rariores sedulo serioque collegerunt, et collectas deinde in communes certe vsus, euulgarunt. Sic igitur isti quidem Enthasfici, Enthusiastici et Corybantici nunc Musica, saepius tamen tutiusque, ex saluberrima certe modo laudatorum Veterum Medicorum praeceptione, alto inprimis silentio, sunt curandi ac sanandi; sed et interdum Helleboro commode expurgandi, vt scilicet Nobilis ille Argiuis, apud HORATIVVM, de quo supra dictum: non nunquam tamen etiam asperioribus remediis et castigationibus sunt coercendi ac *corrigendi, et admonitione, et vi, et molliter, et denique etiam aspere*, vt SENECA nempe sapienter et acute monet. ⁿ⁾ Sed de his nunc demum haecenus.

§. XVI.

l) *Hist. Comment. cap. XLIX. pag. 45. vbi conf. MEVRS. in Comment. p. 157.*

m) *Lib. de acutis Morbor. Causs. cap. LXIII. p. 265. conf. et SEIDEL de Morb. incurabil. p. 139.*

n) *Lib. I. de Ira, cap. XIV. conf. et Epist. XCIV. p. 383.*




§. XVI.

Superfunt quidem aliquot adhuc ipsius *Capitis Faucium*, que morbi, vt et alii varii *pectoris* atque *Abdominis*, qui in faciliorem ac feliciorem medelam, praecipue salutare exigunt silentium: quos tamen praeter omnem spem et opinionem, ex firmo nostro proposito ac promisso, iam quidem sat commode soldeque pertractare haud licuit. Publica enim negotia iam a nobis sine mora et morositate; sed strenue potius et alacriter ipso frigido languidoque senio frustra obstante, peragenda, aliaeque caussae vrgentes et sollicitationes crebriores nobismet ipsis *de silentio differentibus ac scribentibus*, quanquam admodum inuitis, vt serio et ingenue testamur, silentium imposuerunt. Imperiosae igitur necessitati iam sic patienter parendum fuit, eaque, quae de hoc vtili et insigni argumento dicenda adhuc ac docenda restant, in aliud commodius et opportunius tempus reiicienda et reseruanda omnino fuerunt, in quo laxius forsan latiusque otium, ac liberius, productiusque spatium nacti fuerimus, quod quidem diuina praesertim gratia benignius fauente, proxime forsan affore, interea placide sedateque speramus. Ceterum autem ipsi diuino Numini deuotissima quidem mente, summas agimus gratias, quod inter tam multa variaque auocamenta, et continuas interpellationes, nobis tamen praesentissimo auxilio ac praesidio fuit, vt hanc ipsam tenuem telam, quamquam saepius ex rapida quidem necessitate, interruptam ac inde dilatam, tandem ad exoptatum telos, siue finem perduceremus. Cuius proinde prouidentiae, potentiae ac clementiae ipsam vitam nostram, cunctaque nostra vsque ad extremum silentium, humillime tradimus et submitimus.

PLAVTVS.

Sed comprimenda iam est mihi vox atque Oratio.



KD. 78

PICA





(15)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
TEMPESTIVO AC SALVTARI
AEGROTORVM SILENTIO

P R A
DANIELE
TRIL

PHIL. ET MED. D. CON
MED. PROFESSORE PRI
SCIENTIAR. BO

ACADEMIA

G R A D V

RITE IM

D. XIV. IANVAR.

H.

PUBLIC

ANTONIVS DO

DR

MEDICINAE ET CH

VITEBERGAE, EXCUDIT

